



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

§. 1. Quid sit Sacramentum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

## TITULUS XVI.

De Sacramentis non reiteran-  
dis.

## §. I.

## Quid sit Sacramentum.

1. *Varia acceptiones nominis Sacramenti.*
2. *Definitio Sacramenti.*
3. *Signum quid & quosuplex.*
4. *Quid nomine signi & gratia in definitione intel-  
ligatur.*

Cum antea egerimus de Sacramento Ordinis, Confirmationis & Extremæ Unctionis, & inter Sacramenta quædam reiterari seu iterum conferri possint, quædam non; ideo nunc discipiendum, quænam sint iterabilia, & quæ non, præsertim ut sciatur, quænam sacra Unctio, de qua Titulo præcedenti, quæ in Sacramentis reperitur, sit iterabilis, vel non.

1. Pro faciliiori intelligentia sciendum, Sacramentum dici à Sacro, variisque modis accipi. Primo, ut significat pignus à litigantibus in loco sacro depositum. Varro 1. *de Lingua Lat* Secundo, ut significat iuramentum, divino testimonio aut in vocatione alicujus rei sacre confirmatum. Sic frequenter usurpatur in Jure, non modo Canonico, sed etiam Civili, ut in *Auth. Sacramenta puerum Cod. si adversus venditionem, l. Miles §. signominosa D. de re militari*: & apud scriptores tam gentiles quam Christianos. Tertio, ut significat idem, quod sacrum arcanum sic 1. *ad Timoth.* 3. Incarnatio vocatur *magnum pietatis Sacramentum*. Quarto, extenditur ad designanda occulta mysteria, licet non sint sacra sic *Apocalyp. s. 17.* res illæ occultæ, significatæ per bestiam & mulierem, vocantur *Sacramentum bestia & mulieris*. Quinto, ut significat signum rei sacre: in qua significatione hic accipitur: non quidem ita generaliter, sed prout significat signum rei sacre, perfectè sacramentis ac imitantis hominem.

2. Unde definiti solet, esse invisibilis gratiæ visibilis forma, *can. Sacrificium 32. De consecrat.*

*Distinct. 2.* vel explicatiùs, esse invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram justificationem institutum, *Catechismus Rom. De Sacramentis: in genere, cap. 1. nu. 3. in fine.* Videatur *Canon. mult. 84. circa medium 1. q. 1.*

Pro cuius definitionibus intellectu faciliiori norandum, quod signum sit res, præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid à se faciens in cognitionem venire, *can. Signum de consecrat. dist. 2.* Sic ex vestigio alicujus, terræ aut nivis impresso, cognoscimus aliquem transivisse.

3. Est autem signum duplex, scilicet Naturale, quale est fumus respectu ignis; & Ex institutione, eaq; vel humana, ut hedera respectu vini; vel divina: & hoc rursus est duplex, aliud Speculativum, aliud Practicum. Speculativum dicitur, quod tantum significat, & nihil efficit, hoc pacto serpens æneus erat signum Christi, in erucem erigendi: & multa alia in lege Mosaica erant signa futurorum. Practicum dicitur, quod non solum significat, sed etiam efficit & operatur. Hujusmodi est ablutio in Baptismo, quæ significat & efficit ablutioem internam animæ à peccato.

4. In assignata igitur definitione intelligitur signum divinitus institutum practicum, insensibile aliquo sensu. Nomine autem Gratia intelligitur gratia sanctificans animam, & quidem perfectè, ut excludantur sanctificationes; quæ solum sunt dispositiones ad perfectam sanctitatem, quales sunt sanctificationes vasorum, consecrationes altarium, aquæ benedictæ, & similia.

## §. II.

## Quod sint Sacramenta.

1. *Sacramenta septem.*
2. *Eorum quædam necessaria ad salutem.*
3. *Quædam voluntaria.*

1. Sacramenta novæ legis sunt septem, à Christo instituta, nempe Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium Conc. Trid. *Sess. 7. can. 1. de Sacramentis.* Conc. Florent. in *Instructioe Armeniorum*: quæ omnia crucis signaculo perficiuntur, *can. Numquid De consec. distinct. 5.* Et licet omnia necessaria sint ad statum universalem Ecclesiæ,